

T14

Naturales quaestiones II, 26

I fulmini

26 (1) Ex nube nascitur. Primum in nubibus non aqua est, sed aer spissus, ad gignendam aquam praeparatus, nondum in illam mutatus, sed iam pronus et vergens. Non est quod existimes eam tum colligi, tum effundi: simul fit et cadit. **(2)** Deinde, si concessero umidam esse nubem conceptis aquis plenam, nihil tamen prohibet ignem ex umido quoque educi, immo ex ipso, quod magis mireris, umore. Quidam negaverunt in ignem quicquam posse mutari, priusquam mutatum esset in aquam. Potest ergo nubes, salva quam continet aqua, ignem parte aliqua sui reddere, ut saepe alia pars ligni ardet, alia sudat.

(3) Nec hoc dico non contraria inter se ista esse et alterum altero perimi; sed ubi valentior ignis quam umor est, vincit; rursus, cum copia umoris exuperat, tunc ignis sine effectu est: itaque non ardent virentia. Refert ergo quantum aquae sit: exigua enim non resistet nec vim ignis impedit.

(4) Quidni? Maiorum nostrorum memoria, ut Posidonius tradidit, cum insula in Aegaeo mari surgeret, spumabat interdiu mare et fumus ex alto ferebatur. <Nox> demum prodebat ignem, non continuum sed ex intervallis emicantem fulminum more, quotiens ardor infernus iacentis super undae pondus evicerat. **(5)** Deinde saxa evoluta rupesque partim illaesae, quas spiritus, antequam urerentur, expulerat, partim exesae et in levitatem pumicis versae. Novissime cacumen usci montis emicuit. Postea <ad> altitudinem adiectum et saxum illud in magnitudinem insulae crevit. **(6)** Idem nostra memoria Valerio Asiatico consule iterum accidit. Quorsus haec rettuli? Ut appareret nec extinctum ignem mari superfuso, nec impetum eius gravitate ingentis undae prohibitum exire. Ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodotus, auditor Posidonii, tradidit, per quam dire<m>ptis aquis ignis emersit.

(7) Quod si immensa aquarum vis flammorum ex imo subeuntem vim non potuit opprimere, quanto minus impedire poterit ignem nubium tenuis umor et roscidus? Adeo res ista non affert ullam moram ut contra causa ignium sit; quos non videmus emicare nisi impendente caelo: serenum sine fulmine est. Non habet istos metus dies purus, ne nox quidem nisi obscura nubibus.

(8) “Quid ergo? Non aliquando etiam apparentibus stellis et nocte tranquilla fulgurat?” Sed scias licet illic nubes esse unde splendor effertur, quas videri a nobis terrarum tumor non sinit. **(9)** Adice nunc quod fieri potest ut nubes summ<iss>ae et humiles attritu suo ignem reddant, qui in superiora expressus in parte caeli sincera puraque visitur, sed fit in sordida.